

*opera justitiae*, viribus solius naturae incipere possemus; quod ipsum manifeste indicant verba HILARII objecta. Porro observandum, voluntatem aliam esse *operatricem*, quae boni initium et hinc bonum jam inchoatum est: aliam *preambulam tantum*, quae dispositio duntaxat ad bonum ac ejus desiderium est, non autem bonum nequidem inchoatum.

Nec dicas 3<sup>o</sup>. pro Jansenii propositione damnata: 1. Primam ejus partem esse quæstionem *facti*, quæ proprie fidem non spectet: et hinc haereseos notam in eam non cadere. 2. Eam quidem jure damnatam, sed ideo, quia *indefinita* est, et de Semipelagianis omnibus loquitur; cum tamen aliqui gratiae interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, non admiserint. 3. Eamdem partem primam merito fuisse damnatam, quamvis Semipelagiani gratiam interiorem ad fidei initium admiserint, sed ex eo, quia gratiam proprie et vere prævenientem non admittebant; cum gratia ex sensu Semipelagianorum ad nutum voluntatis se accommodans ipsique serviens, voluntatem reipsa non præveniat.

R. Audiendus hic iterum videtur NAT. ALEXANDER loc. supr. cit. *Sed de isto Semipelagianæ haeresis capite in Dissertationibus uberior agam contra Jansenium, Franciscum Macedo Minorem, Gonetum nostrum et alios, qui nulla habita ratione Propositionis quartæ in Constitutione Innocentii X. damnatae, temere asserunt Semipelagianos gratiam aliquam internam ad initium fidei admisisse.* Et vero quanta temeritate id agant, patet ex his ipsis exceptionibus.

Ad 1<sup>um</sup>. R. Imprimis nota *falsitatis* saltem in eam cadit; ergo qui primam partem veram putant, quam Rom. Pontifices et cum iis Ecclesia *falsam* declarant, et ut talem damnant, hos errare et cœcifire contendunt; quod factum a temeritate saltem excusari nequit. Deinde quæstio hæc, quid de initio fidei senserint Semipelagiani, sic est facti, ut jus involvat in damnata propositione. Si enim prima pars, quam facti vocant, quod scilicet *Semipelagiani admiserint prævenientis gratiae interioris necessitatem ad initium fidei*, vera sit; secunda, quæ juris est, per errorem a Pontificibus damnata est ut haeretica. Nam si quis admiserit primum, neque in eo constitutus eorum haeresin, sequitur, Semipelagianos in eo tantum *fuisse haereticos*, quod vellent eam *gratiam talem esse*, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare; et Pontifices errasse in quæstione juris, hanc partem 2<sup>um</sup> haeresos damnantes.

Ad 2<sup>um</sup>. R. Et sensus Jansenii et sensus Pontificie Constitutionis huic exceptioni repugnat. *Primum* quidem; quia *Jansenius*, in cuius sensu damnata est propositio duas Semipelagianorum classes distingueens, de una earum solum asserit, ipsos prævenientis gratiae necessitatem ad fidei initium admisisse; ergo de iis, de quibus Jansenius asserit, negant Pontifices. *Secundum* vero; quia Pontifex secundam propositionis partem damnans declarat, nullos Semipelagianos *fuisse haereticos* in eo, quod gratiam vellent esse talem, cui posset resisti vel obtemperari; ergo sensus ejus quoad *primam* partem est, nullos Semipelagianos gratiae prævenientis necessitatem ad fidei initium admisisse; cum unum ex altero necessario sequi proxime dictum sit.

Ad 3<sup>um</sup>. R. Vanitas exceptionis ex ipsa propositione damnata dilucescit. Cum enim Pontifex dicat, Semipelagianos non *fuisse haereticos*, quod vellent *talem esse gratiam*, cui voluntas posset obtemperare consensu et resistere

dissensu; hoc ipso patet, quod eos non damnaverit ut haereticos, quod non admiserint gratiam per se efficacem, quam quidam proprie et vere prævenientem nominant; ut ipse NAT. ALEXANDER, quantumvis gratiae *per se* efficacis patronus, in dissert. 4. Sec. V. respondet.

197. R. II. Theoph. Raynaudo, Petavio, aliquis non videtur negandum, a Semipelagianis ad fidei initium admissam esse *gratiam illustrationis*; idque ex variis textibus SS. PROSPERI et AUGUSTINI; sed ab aliis forsitan responderi potest, haec omnia probare duntaxat admissam a Semipelagianis gratiam illustrationis ad *opus bonum*: minime autem ad fidei initium; utpote inter quod et illud statutatur juxta dicta discrimen, et *fides a ratione boni operis* discernebatur.

### ARTICULUS III.

QUINAM FUERINT AUCTORES, DEBELLATORES ET ERRORES RECENTIORUM SECTORUM CIRCA GRATIAM?

198. Nota. Joannes Wicleffus natione Anglus, vehementis ingenii et ambitionis homo, Ecclesiæ de Luttheworth in Lincolniensi Diœcesi Rector, ubi a præfectura Cantuariensis Collegii decendique Theologiam munere ob contrarium ipsi consuetudinem et jus erat rejectus, præterea etiam spe Wigorniensis Episcopatus exoderat, ad turbam Ecclesiam se convertit, sparsis sub an. 1375. erroribus variis dogmata de Deo, Christo, Sacramentis, Ecclesia, membris ejus ac ordinibus et libero arbitrio concorrentibus, quos Thomas Waldensis maxime ex libro ejus, *Triologus* inscripto, et aliunde collegit.

Concilia contra eupudem tum Romæ tum in Anglia, et GREGOR. XI. P. M. haeresin hanc in exordio statim opprimere laborarunt: tandem vero conferunt Synod. CONSTANTIENSIS Sess. 8. et MARTINUS V. edita Bulla. Damnatorum dogmatum similitudo et singulare studium, quod Lutherus in *Wicleffo et Joanne Huss* ejus discipulo defendendo tum alibi tum in thesibus Lipsiæ contra Eckium propositis impedit, fundamentum præbet, cur *Wicleffus* a pluribus sectarum recentiorum Patriarcha dicatur. Quoniam vero ejus errores quæstiones de gratia minus attingunt, eosdem etiam hic referre aut de illo uberior agere supersedemus.

199. Dico I. Sectarum, quæ a seculis aliquot prope innumeræ emerse sunt, auctores vel præformatores præcipui sunt Martinus Lutherus et Joannes Calvinus.

Lutherus natione Saxo, natus an. 1483. Islebii in Comitatu Mansfeldensi, Litteris humanioribus Magdeburgi et Isenaci, Philosophiæ studiis Erfordiæ absolutis et degustata per annum Jurisprudentia, inopino socii fulmine icti exterritus fato, Ordinem Erem. S. Augustini ibidem an. 1504. suscepit. Aliquot annis post, Wittenbergam studiorum causa missus, subin Romam digressus, redux deinde ibidem in Academia, quam Dux Saxonie nuper erexerat, Theogiæ Doctor et Professor creatur.

Hic ex occasione Jubilæi et Indulgentiarum a LEONE X. P. M. concessarum, quarum promulgationem Albertus Archiepiscopus Moguntinus Tezelio Dominicano commiserat, contra indulgentias et earum præcones an. 1517. debacchari cœpit. In alios exinde errores prolapsus, cum nec scripta contraria nec disputationes habite nec pontificii Legati adhortationes eum reducerent, *damnationem* primum 41. propositionum an. 1520., deinde excommunicationem et heretici stigma an. 1521. a LEONE X. tulit.

Inde efferior factus nihil omisit, quod ad devastandam Ecclesiam facere posset, editis volumiibus pluribus, e quibus præter errores, morum ejus characteres, superbiam, ambitionem, impudentiam, scurrilitatem, irreverentiam in Principes, propensum ad seditiones concitandas animum, impudicitiam et impietatem factis alibi comprobata haurire licet. Vestem sacram, quam hactenus retinuerat, an. 1524. exuit. Sequenti anno *Catharinam de Bore* raptam e Monasterio moniale uxorem duxit, an. 1546. demum mortuus.

Sectarios Hæresiarcha iste numeravit plurimos, quorum præcipios hic nominasse duntaxat sufficiat : Andream nempe *Carolostadium*, Huldricum *Zwinglium*, Joannem *Oecolampadium*, Philippum *Melanchtonem*, Martinum *Bucerum*, Gasparem *Schwenckfeldium*, Joannem *Agricolam*, Andream *Osianum*, Joannem *Brentum*, Mathiam *Flaccum Illyricum*, Franciscum *Stancharum* etc., qui ipsi subinde in varias sectas abierunt. Eæ vero tres potissimum revocantur.

1<sup>a</sup>. Est Lutheranorum *rigidiorum* pura Lutheri dogmata sectantium, quorum facile princeps fuit *Illyricus*, Centuriarum Magdeburgensium præcipius editor. 2<sup>a</sup>. Est *molliorum* Lutheranorum, h. e. eorum, qui Confessionem Augustanam, ubi non nihil emollita fuerunt Lutheri placita, sectari se protestantur. Continet hæc Confessio 28. articulos, exarata a Melanchtone, qui et Apologiam postmodum pro ea edidit, et a Germaniae Principibus Protestantibus an. 1530. in Comitiis Augustæ Vindelicorum habitis CAROLO V. Imp. oblata ; unde et horum dux Melanchton dicitur. 3<sup>a</sup>. Est *Sacramentariorum*, qui a doctrina Lutheri circa Eucharistiam digressi, profitentur in ea Corpus Christi non esse nisi in signo. Horum antesignanus *Carolostadius*, cui sese adjunxerunt Zwinglius et *Oecolampadius*, et *Calvini* hæresin præformarunt.

*Calvinus* natione Picardus, natus Novioduni an. 1509. humanioribus et philosophicis disciplinis Parisiis imbutus, primum ad Jurisprudentiam Aureliae et Avarici Biturigum animum applicuerat, dein ad Theologiam addiscendam animatus, novæ doctrinæ, qua jam a cognato Petro Roberto Olivetano afflatus erat, principia postremo in loco hausit a Melchiore Wolmaro, iisdem mox uberiorius tinetus Lutetiae, ibidem cum *Lutheranis* et *Zwinglianis* ac præsentim Nicolao Copo familiaritate inita.

Quæstionem de *dogmatibus* hic imminentem subterfugiens Basileam primum, post Engolismam se contulit; unde rursus decedens Basileæ *Institutiones* suas edidit, an. 1536. Genevæ *Concionatoris* et *Theologiae Professoris* spartam adeptus. Dissidio autem inter ipsum et Symmistas, Genevenses item et Bernenses orto, pulsus urbe proripuit se Argentoratum an. 1538., ubi et suadente Bucero uxorem duxit.

Revocatus subin an. 1541. Genevam, omnem sectæ sua disciplinam consti-

tuit probante senatu, legesque præscripsit, a quibus postea discedere nec ipsis Ministris, nec Civibus licet. Reliquum vitæ tempus ibidem motibus adversis nonnunquam agitatus, in dilatanda sua hæresi et variis scriptis edendis strenuus, sed arrogantia, impudentia, crudelitate et impietate infamis contrivit, an. 1564. defunctus. Famosum et exitiosum *Institutionis* opus ex Melanchtonis præsertim, *Oecolampadii* ac Brentii libris magnam partem consarcinatum, sed methodo nova et purioris latinitatis elegantia adornatum delineare cœpit Engolismæ, edidit an. 1535. Basileæ, auxit an. 1539. Argentorati.

*Calviniana* itidem *factio* in plures sectas scissa fuit, quarum tres sunt præcipuae : 1<sup>a</sup>. Eorum, qui *Calvinum* ad amussim sequuntur, quales sunt Geneveses : Reformati in Gallia et Palatinatu, plerique etiam in Belgio et Helvetia : Puritani item in Anglia et Scotia, a quibus parum discrepant Independentes et Presbyteriani ibidem, quibus admodum favit Oliverius Cromwellus Regni Protector nuncupatus.

2<sup>a</sup>. *Anglo-Calvinianorum*, qui nec meri Lutherani, nec Calviniani, adhærent congerie errorum, quos Crammerus Lutheranus et Regina Elisabeth Calvinismo favens schismati Henrici VIII. addiderunt, servatis semper nonnullis ad Hierarchiam pertinentibus; unde et dicti sunt Episcopales, ac a Presbyterianis differunt, dum agoscunt Episcopos non solum ordine, sed et jurisdictione Presbyteris jure divino superiores.

3<sup>a</sup>. *Arminianorum*; sic dicti a Jacobo *Arminio* Ministro Amstelodamensi, postea ad docendam Theologiam in Academia Lugduni Batavorum evocato, qui plura dogmata de gratia, libero arbitrio, justificatione, perseverantia, prædestinatione et peccato originali emollivit, et communia sectæ Calviniana placita disputationibus convulsit. Huic cum se opponeret Calvini adorator et vindictus Franciscus Gomarus ejusdem Academiæ Professor, scissa est in partes primum Academia, tum tota Batavia, et demum Nationalis Synodus de utriusque partis dogmatibus Dordraci an. 1618. habita, quæ sequenti anno contra Arminianos pronuntiavit sententiam. Dicti sunt iidem ob dogmata sua Calvinistæ molles, ob libellos supplices ordinibus Hollandiæ et Frisiae porrectos *Remonstrantes* : cum pars illis opposita a Duce suo *Gomarista*, a doctrina Calviniani *rigidi*, a libellis oppositis *Contraremonstrantes* vocantur.

Addunt quidam 4<sup>am</sup>. *Piscatorianorum*, qui nomen a Joanne Piscatore Argentinensi, Calvinianæ Theologiæ in Gymnasio Herbornensi Professore acceperunt. Is ad an. 1600. scholarum reformationem meditatus in dogmatibus pluribus a reliqua Calviniana secta dissensit, censuram ideo aliorum passus, qui ejus opiniones tanquam hæreses rejecerunt, quidam etiam ut hæreticum anathemate damnandum pronunciarunt.

200. *Dico II.* Debellatorum utriusque hæresis nomine intelligi possunt : 1<sup>a</sup>. *Doctores* singuli, qui hæreticis dogmatibus vel scriptis libris, vel habitis disputationibus, vel susceptis cum adversa parte colloquis se strenue ac fortiter opposuerunt : 2<sup>a</sup>. *UNIVERSITATES* promeritam erroribus censuram affigentes : 3<sup>a</sup>. *SYNODI* Diœcesanae aut Nationales sententiam enuntiantes : 4<sup>a</sup>. *PONTIFICES* definientes et *TRIDENT.* Concilium Generale tum cogentes, tum moderantes, tum confirmantes ; quorum singularis notitia ex historia Ecclesiastica seculi XVI. petenda est.

201. Dico III. EX ERRORIBUS prope innumeris, quos Hæresiarcha uterque de omnibus ferme dogmatibus profudit, eos duntaxat breviter recensemus qui liberum arbitrium et gratiam spectant. Eorum 1<sup>us</sup>. est, *liberum arbitrium* post Adami lapsum esse figmentum et titulum sine re. Ita Luth. in Assertione suorum articulorum ad LEON. X. art. 36. Et Calvin. in Antidoto Tridentini ad Can. 5. Sess. 6.

2<sup>us</sup>. Vel explicatio potius prioris est, *liberum arbitrium hominis eatenus admitti, quatenus voluntas hominis libera est a coactione, non tamen a necessitate*. Ita Luth. L. de servo arbitrio : et Calv. L. 2. in Pighium etc.

3<sup>us</sup>. Est, hominem lapsum non posse resistere gratiae, si velit, adeoque necessari absolute sive ad bonum, si gratiam habeat, sive ad malum, si ea caret. Ita Luth. L. de serv. arb. Clarius Calvinus L. 2. Inst. c. 3. §. 10. de gratia sic loquitur : *Voluntatem movet, non qualiter multis seculis traditum est et creditum: ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari... Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram partem inclinare: sed cum suo exemplo docuerit, quam miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis et velit, et possit: quid fieri nobis, si ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur?*

4<sup>us</sup>. Est, hominis voluntatem sub gratiae impulsu habere se mere passive instar trunci, stipitis alteriusve inanimis, uti Lutherus in Operation. in Psalmos Ps. 5. in digressione de spe loquitur. Hujus porro erroris sensus non fuit, quod voluntas in opere bono plane iners et otiosa sit, et nullatenus nequidem vitaliter se moveat. Contrarium enim patet ex verbis Lutheri de serv. arb. Necessario dico, non coacte : *h. e. homo, cum vacat spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte et lubenti voluntate facit*. Genuinum hunc etiam Calvinii sensum intelligere licet tum ex L. 2. Inst. c. 5. §. 14., tum ex L. 3. cont. Pighium, maxime vero ex L. 5. cont. eumdem, ubi *hominem, inquit, sic quidem docemus agi Dei gratia, ut simul tamen agat: sic tamen ipsum agere, ut penes Dei spiritum tota sit, ac maneat actionis efficacia*.

Eodem sensu errorem intellexerunt Card. OSIUS, BELLARM., STAPILETON, aliique controversiarum scriptores; atque hinc etiam Concilium TRIDENT. Lutheranorum et Calvinistarum errorem referens ac dammans sic habet : *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abdicere potest etc.* Ubi Patres Tridentini hominem se non mere passive habere probant ex eo, quia libere agit, et inspirationem ita recipit, ut illam abdicere possit. Idem repetitur in Can. 4. Sess. 6.

5<sup>us</sup>. Est, nullam de facto dari gratiam sufficientem, quæ simul non sit efficax. De hoc errore ita Lutherus L. de serv. arb. : *Humana voluntas in medio posita est ceu jumentum. Si insederit Satan, vult et vadit, quo vult Satan: si insederit Deus, vult et vadit, quo vult Deus.* Et Calvinus L. 2. Inst. c. 3. §. 10. Medium, quem Sophiste imaginantur, motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia. Item alias docet, motum Spiritus sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat.

Denique 6<sup>us</sup>, est, præcepta Dei homini esse impossibilia, nec posse ab ho-

mine per gratiam impleri. Ita Lutherus in Resp. ad Dialogum Sylvestri : *Pessime facis, quod negas Salvatorem impossibilia jussisse: plus quam pessime facis, quod hoc falsitatem aedes appellare: non possumus in hac vita mandata Dei implere.* Calvinus etiam L. 2. Inst. c. 7. §. 5. Quod autem impossibilem legis observationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul et confrandendum.... etc.

#### ARTICULUS IV.

QUE SIT BAIANISMUS HISTORIA, QUOD SYSTEMA, QUÆ IN ILLUM LATA SENTENTIA?

202. Nota. Michael Baius sive de Bay, natione Belga, natus an. 1513. Melini in territorio Atheni, Presbyter secularis, laurea doctorali an. 1530. in Facultate sacra Lovaniensi donatus, anno altero eadem in Academia regius sacrarum litterarum Professor institutus fuit; vir ingenii nimium praesidentis et scientie sue estimator immodicus, id quod Ruardo Tappero Baii olim magistro ansam dicendi dedit, se ab hoc juvene nonnisi schisma expectare.

Non vanum fuisse praesagium eventus docuit; inita enim cum Joanne Hesselio paris conditionis et animi Professore Lovaniensi amicitia, a suscepto mox docendi munere nova disseminare coepit: quod studium nec ipse nec ejus nuper laudatus socius Tridenti dedidicerunt, quorsum ineunte anno 1563. ad ultimas tres Concilii sessiones Commendoni consilio delegati a Rege Catholico fuerunt, ut legatorum solertia ibidem conciliarentur. Rejectis tamen postremo erroribus, diem extremum obiit an. 1589.

203. Dico I. Exordium Baianismi in an. 1551. incidit, quo Professor publicus novas et erroneas doctrinas tum voce, tum scriptis proferre coepit, Ruardo Tappero sub an. 1552. ex Conc. Trid. reduce strenue cum Rastheinio, Richovio et Cunero Theologis Lovaniensibus illi obsistentibus. Baiana doctrinae nihilominus adhaerentibus multis, ac e sua etiam sacra familia quibusdam duo Fratrum Minorum Guardiani selectos inde octodecim articulos ad Parisiensem Facultatem judicii ferendi causa an. 1560. miserunt, quae eodem adhuc anno, 27. Junii, lata censura illos confixit, et erroris aut hereseos notavit. Quo tamen nihil permotus Baius non modo perrexit ruere, quo cooperat, sed partes etiam suas multum auxerat; illis nempe Doctoribus, quos nominavi, aut fato functis aut e scholis ad Episcopales sedes evectis, jam ipse antiquissimus Academiæ relictus et auctoritate apud juniores prævalens.

Unde partibus hinc inde non sine animorum astu contendentibus an. 1561. Pius IV. P. M. silentium imposuit. Id vero cum minime teneret Baius cum asseclis, redux a Tridentino varia in lucem opera edens; novis dissidiis recrudescentibus, censuras etiam suas contra Joannis Hesselii et Michaelis Baii propositiones plures strinxerunt an. 1566. Academiæ Complutensis, Salmanticensis et varie in Italia, donec tandem de pluribus articulis Romanæ Sedi denuntialis inde judicium veniret. Itaque

Progressus et exitus causæ Baianæ coepit an. 1567., quo Pius V. P. M. Calend.